

An hoc parum magnum est? Quum tibi dicam, summum bonum est infragilis animi rigor et providentia, et subtilitas, et sanitas, et libertas, et concordia, et decór: aliquid etiamnum exigis majus, ad quod ista referantur? Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quaero, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior est.

X. «Dissimulas,» inquit, «quid a me dicatur: ego enim nego quemquam posse jucunde vivere, nisi simul et honeste vivat: quod non potest mutis contingere animalibus, nec bonum suum cibo metientibus. Clare, inquam, ac palam testor, hanc vitam quam ego jucundam voco, non sine adjecta virtute contingere.» At quis ignorat, plenissimos esse voluptatibus vestris stultissimos quosque? et nequitiam abundare jucundis, animumque ipsum non tantum genera voluptatis prava, sed multa suggerere? In primis insolentiam et nimiam aestimationem sui, tumoremque elatum supra ceteros, et amorem rerum suarum caecum et improvidum: delicias fluentes, ex minimis ac puerilibus causis exultationem; jam dicacitatem, et superbiam contumeliis gaudentem, desidiam, dissolutionemque segnis animi indormientis sibi. Haec omnia virtus discutit; et aurem pervellit, et voluptates aestimat, antequam admittat; nec quas probavit, magni pendit (utique enim admittit), nec usu earum, sed temperantia laeta est. Temperantia autem quum voluptates minuat, summi boni injuria est. Tu voluptatem complecteris; ego compesco: tu voluptate frueris; ego utor: tu illam summum bonum putas; ego nec bonum: tu omnia voluptatis causa facis; ego nihil. Quum dico, me nihil voluptatis causa facere, de illo loquor sapiente, cui soli concedis voluptatem.

XI. Non voco autem sapientem, supra quem quidquam est; nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus quomodo resistet labori, ac periculo, egestati, et tot humanam vitam circumstrepentibus minis? quomodo conspectum mortis, quomodo doloris feret? quomodo mundi fragores, et tantum